



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

XVI. Ad Innocentes & parvulos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

blicè in via. Sapienter S. Bernardus : *Solent Virgines, quæ verè virgines sunt, semper esse parvula, &c, ut cavenda fugiant, etiam tuta pertimescere.* In publico tutum nihil. Ergò lateamus, & cum choro sanctorum Virginum jam jam cum Christò Jesu sponsō suō amabilissimō regnantium in cœlo, hodiè soli agamus, cantantes hymnum : *Jesu! corona Virginum, quem Mater illa concipit &c.* Sequamur Agnum. quocunque ierit! Errabimus nunquam.

## EXHORTATIUNCULA XVI.

## Ad Innocentes, &amp; Parvulos.

## I.

**N**Emo ad virtutem, & Dei gratiam aptior vobis, mi parvule! Hinc vox Jesu suavissima: *Sinite parvulos venire ad me!* Veniat ergò, & occurrat Deo suo! Veniat! sed per submissionem, & reverentiam erga suos parentes: per taciturnitatem, & modestiam in templis: per fugam à malis sociis. Parvule! Qui placent ista?

*Instructio Meritoria.*

Non aberrabit ab hac doctrina, si vestra erga SS. Angelos Custodes devotio fuerit constans, & quotidiana. Ideò à manè excitatus statim fletat, & novem Ave recitet cum amoris suspirio. *Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in pælio, ne pereamus in tremendo iudicio.*

Ii 5

II. Fili

## II.

**F**illi innocentissime! O si vestram, quam ad  
huc de præsenti possidetis, primam inno-  
centiam servaretis usque ad extremam mortis  
horulam! Quantum inde gaudium! solatium!  
pax! & jucunditas vobis! Servabit sine dubio,  
si verecundiam in moribus, & modestiam in  
conversatione jugiter coluerit. Pudor in fa-  
cie, & rubor in genis terrent innocentia hostes.

*Instructio meritaria.*

Sequamur S. Bernardini Senensis adhuc par-  
vuli pietatem, qui, ne à perversis subverteretur  
sociis, quotidie adibat ædiculam B. V. cum di-  
cto: *Vado ad Dominam meam.* Mariam di-  
ligat, & de sua sibi non timeat probitate. Ec-  
clesias idcirco, & aras sæpius visitet Bmæ Vir-  
gini dicatas, Matremque suam salutans genufle-  
xus dicat: *Ave Maris Stella.* Recordetur,  
Jesum nil Mariæ, & Mariam nil suis negare  
servulis.

## III.

**P**Arvulorum est agere, & vivere cum parvulis!  
Parvulum habemus in Jesu! Et hunc ô  
quàm affabilem! quàm jucundum, & amabi-  
lem! Stringamus! teneamus! & sæpius cum  
S. Augustino fraternè veneremur salutandô:  
*Domine Jesu!* *Gaudium meum!* *Attrahé me*  
*totum!* *Tu cibus dulcis!* *Comedam te!* *Tu ca-*  
*put meum!* *dirige me.* *Tu delicium meum!*  
*intra in tuum servulum!*

*Instru-*

*Instructio meritoria,*

Benedictum os ! cor benedictum , cui non  
aliud verbum , quām Nomen Jesu ! Parvule !  
Assuecat manē , meridie , & vespere frontem  
signare titulō triumphalis Nominis Jesu , & fu-  
gient partes adversæ . Tentatur , tristatur quis ?  
Veniat in cor ejus Jesus ! monet D. Bernardus .

## EXHORTATIUNCULA XVII.

## Ad Litteratos , &amp; Studiosos .

## I.

**S**TUDE sapientiæ , Fili mi ! Altiora tamen te ne  
quæsieris , & fortiora te ne scrutatus fueris .  
Novisse Deum & seipsum est summa scientia-  
rum . Huc ! huc nostra colliment vota , &  
studia .

*Instructio meritoria.*

Resistendum ergo nimio curiosa , & inutilia  
sciendi desiderio . Ne prævaleat , ante studium  
flectamus , tribus Pater , & Ave intellectum ,  
voluntatem , & memoriam SSS . Trinitati com-  
mendemus , & ab hymno : *Veni Creator Spiritus*  
&c. studia inchoemus . Ab oratione ò quanti  
Ecclesiæ Doctores SS. Augustinus , Gregorius ,  
Thomas , & Venerabilis Beda !

## II.

**P**Rudentia , ò Venerande ! absque simplicita-  
te malitia est ; & simplicitas sine ratione  
stultitia est : verba sunt S. Hieronymi . Nos u-  
tramque jungamus , prudentiam simplicitati ,